

*DEO Favente, omnis labor nostrarum
Manuum, Impigre Succedit!*

**IN TOTA RERUM NATURA,
NON EXISTENS
I G N I S:**

Consensu Ampliff. Facult. Philos.
PRÆSIDE,
Amplissimo Viro ac Domino,

DN. M. PETRO HAHN,
Scient. Natur. Prof. Ordinario Celeberrimo,
& Bibliothecario dexterrimo.

HOCCE EXERCITIO ACADEMICO!
*Pro licentia adeundorum honorum Philosophi-
corum, expressus; & Examini publico
honorum submissus.*

â

MAGNO S R A A S S S S.
In Auditorio Maximo,

*Ad diem, si DEO videbitur, 6. Octobris,
Anni currentis M. DC. XCIV.*

ABOÆ, Impr. apud Jo. WALLIUM.

Manus nostræ sunt oclatæ,
credunt quod vident!

Phœbus filio suo Phaeronti:



Qui per juga cœli curru eius vehebatur;

Medio rutissimus ibis.

VIRO DEI,

EMINENTISSIMO atque EXCELLEN-
TISSIMO DOMINO:

DN. SAMUELI
WIRÆNIO;

S. S. Theol. Doctori
Famigeratissimo, Diœceseos Wexi-
onensis Episcopo, Sacrorumque
Antistiti dignissimo, Consistorii
Ecclesiastici Præsidi gravissimo, Gy-
mnasii Scholarumque per totam
Diœcesin, Ephoro accuratissimo,
Mæcenati ac Patrono suo sub-
misse colendo!

VITAM! ANNOS!

VIRO:


*NOBILISSIMO, atque CONSULTIS-
SIMO DOMINO:*

DN. ERICO

Ligerstedt.

**In Regio, Magni hujus
Ducatus Finlandiæ Judicio, Ad-
fessori longe dignissimo, Promo-
tori ac Benefactori maximo, ob
beneficia & eruditionis gloriam,
semper deveneran-
do!**

PACEM! SALUTEM!

ub nomine vestro magno, hacce
opusculum, luci dare ausus sum.
Alteri quidem vestrum, Viri Ma-
ximi, sum ignotus; verum eximia illa, hic
atque illic sparsa laus vestra, me erexit,
atque fiduciam dedit, nec hoc nec me exclu-
sum iri. A Nobilissimo vero Adessore hu-
militer peto, benigne ut suscipiatur. Sicut
enim ingenue confiteor, quod ille, post Nu-
men, mea fortuna faber est, quam hac
in terra cautus tuli; ita & hisce lineis de-
clarare volui, quantum ego ipsi totique no-
bili ejus familia debeam. Caelum igitur
& sidera qui regit, vestra gubernet fata,
ac eadem vos tandem benigne excipiant!!!
Valete!! ceu vobet

Reverendissimi Dn. Episcopi,
Nobilissimiq; Dn. Assessoris,

humilimus cultor.

M. J. S.

VIRIS

Admodum Reverendia ac Præclarissimæ,

Reverendis atq; Clarissimæ MAGISTRIS
ac DOMINIS,

DN. PRÆPOSITO Cathedrali: una cum
cæteris CONSISTORIALIBUS honora-
tissimis, & Gymnasti Wex: LECTORIBUS
solentissimis, ut quondam Præceptoribus;
ita Patronis nunc suis pie honorandis.
Incolumitatem!

Sic. tandem. videtis.

Sic. in. manibus. habetis.

Quod. &. quo. melius. multo. diu. vobis. da-
re. desideraveram.

Hoc.

Qualecunque. munus.
sub. vestra. lateat. umbra.

Hoc.

à. peste. livoris.

dentibus. probrosis. defendite.

ab. injuriis. me. benigne. tuemini.

Vos.

novistis. me. novistis. Ingenii. granum.
fortunas. quas. habui. ac. teneo. domi.

ac. proinde. facite.

Quod. DEO. gratum. humili. jucundum.
evenire. potest.

Sic. vestram. gratiam.

me. ambivisse. non. pigebit. unquam.

Nec non:

Pl. Reverendo ac Clarissimo Domino,

DN. M. ANDREÆ ANANDRO,
In Angelstad cum annexis Liungby
& Kånna/ Pastori dignissimo, ut an-
tea Nutritio liberalissimo; ita Benefa-
ctori certissimo.

Reverendo atq; Doctissimo Viro,

DN. JOHANNI KÖNIG/
Pastori in Sibbå meritissimo, Bene-
factori ac amico suo honoratissimo.

Venerabili atq; Doctissimo Domino

DN. OLAO ORRE, V.D.
Ministro in Kalvise & Hidåt vigi-
lantissimo, fautori ac benefactori suo
colendo.

Venerabili ac Doctissimo Domino

DN. GUSTAVO BJÖRNBAD/
V.D. Ministro in Sibbå solertissimo,
ob zelum in vinea DEI repastinandâ
magnum, & vitæ gravitatem, in pau-
cis caro.

Favor & merita vestra in
me sunt tanta, ut quod
multa vobis debeam con-
fiteri necesse sit; sed quam grati-
am referam? cum illa fortunarum
mearum vires, longe superent. Ut
ut autem id sit: sint hæ tenues pa-
gellæ testes, animi haud prorsus
ingrati. Hanc, quam elaboravi
materiam, prius perlegite, quam
vel sententiam vel suffragium, de
Titulo feratis. Multa namque esse
possunt philosophiæ Mangonia, qui-
bus abstinui, ut quæ omnia sedulo
vitare didici; placide contentus,
quod pacate vixerim. Interea vos
rem bene gerite! & ut cœpistis, be-
ne de me sentire pergite. Atq; sic
omnes nos *Maneat!*



Maneat à Jehova Successus!

§. I



udum sane una cum suis Aucto-ribus, Philosophis Antiquioribus, illa sententia explora jacet atq; sepulta: quæ ignem ipsi cælo competere, e-umque non solum corporibus cælestibus, unionibus cæli sideribus, inesse, affirmavit; verum etiam *Igni Elementari*, ob summam suam subtilitatem ac levitatem, Integram sphaeram ac locum quendam naturalem, *sub concava sphaera lune constituit.* Quæ opinio, quamvis meris imaginationibus ac vanis persuasionibus innitatur, adeoque ulteriore refutatione indigna; denuo tamen non modo, ab

A

obli-


2
oblivione est revocata; verum etiam ex parte vindicata: Ignisque stellis & planeris, utpote; præprimis Regi eorum Soli adtributus; sed locus ejus naturalis, in gremio ac sinu terræ situs. Habet igitur, hoc exercitium plus in recessu, quam prima, qua prodit facie, videtur præ se ferre. Et proinde speramus, ne quis nobis vitio vertat, si argumentū pro tua dignitate non potuerimus emittere. Cum superiorum auctoritati, temporis ac facultatum injuriis, parendum nobis fuerit. Pacatam ad hæc rationem disputandi, ex bene philosophantium consuetudine, sectati sumus, & *ἀπολογεῖσθαι*, quid humeri ferre valeant, quidque portare reculent, tentavimus.

§. II.

Sensus magnum obtinere momentum, Sin omnibus rebus ratione apprehendendis ac cognoscendis, dudum extra controversiam, in Scholis & Academiis, positum & comprobatum est. Cum enim

3

enim hujusmodi res occurrant, quæ sensibus nostris se submittant, non potest non, via certâ atque indubiâ, earum essentia atque natura, ex sensibus cum ratione conjunctis, per qualitates atque operationes suas, dignosci atque haberi: adeo ut nec ens illud Maximum & supremum DEUS, per sua effecta, per minimum vermem & herbam, cognitioni sensuum nostrorum se subtrahat. *Planta suis certo, Numen demonstrat ab herbis: Et levis est cespes, qui probet esse DEUM.* Multa tamen sunt, quæ tanta subtilitate superbiunt, ut sensus nostros eludant, ac infinitis parasangis transcendant, atque sic sola ratione percipi, gaudeant. *Indirecte* tamen hæc suo modo in sensus incurere dicuntur: cum providæ DEI curæ contrarium sit, hominem *custodibus* quibusdam mendacibus, atque internunciis fallacibus instruere & communire. Et λόγου ζῆλαίν, ἢ αἰ κυρίως φαινόμενα καὶ τὴν αἰσθησιν, ἀφέλλαι τὴν αἰσθησιν, ἀρροσιὰ τῆς διανοίας ἐστὶ. Arist: lib: 8. phys.

Interim tamen, credat Judæus Apella, tantam sensibus vim inesse, ut etiam in superiorem mundi plagam ascendere, & quid sub concavo lunæ fixum hæret, rimari possint. Possunt tamen beneficio lunæ, siderum, ac aliorum corporum naturalium auxilio, eo usque optimè penetrare. Quamvis enim, hujusmodi Sphæra Elementaris sub concavo lunæ non detur; & ipsa luna, utpote fidus cœlestis, non in aëre hæreat, sed in firmamento posita, nec frigida nec calida sit; sicut nullis corporibus cœlestibus, utpote ex luce primigenia, quæ non ignis sed substantia lucida fuit, productis, nec calor nec frigus competere potest: Sunt tamen hæc tantæ molis astrorum corpora, producta, in signa, in vicissitudines temporum, in dominium; hoc est, ut hæc sublunaria regant, ut vi sua magnetica, atque suo influxu, in hæc inferiora agant, sicut radix illa  hoc ipsum sufficienter

ter demonstrat. Quæ singula nihil aliud sunt, quam manifesta, sensuum nostrorum, hac in re testimonia, judicia, atq; elogia.

§. IV.

Ex omnibus autem hisce clarissimis rerum momentis, nulla ratione nulloque modo videmus, quomodo ignis hic Elementaris, sub concavo lunæ, vel *directe* vel *indirecte*; vel a *priori* & *per se*, vel a *posteriori*, aliorum nempe corporum motione, sensibus nostris occurrat, cum effecta ipsa, per quæ dignosceretur, ipsi penitus denegantur. Non enim ille ignis ardet, non lucet, non urit, nec illius rei usui infervit. Quamquam enim levis est ignis, num propterea tamen supremum occupabit locum? Nam levis aër, in infimis etiam terræ venis atque meatibus invenitur, cum nihil prorsus in natura vacuum. Aqua etiam longe levior est ipsa terra, eam tamen nequaquam totam operit. Et si vel occuparet? utique etiam lumen per

aërem spargeret, quippe lux ipsa nihil aliud est, quam ipse actus *visibilis*, vel potius *visibilitatis*, quæ ut omnium qualitatum sensibilibum nobilissima ac præstantissima; ita & præstantissimum edit effectum. Atque sic facile frustranea esset illuminatio luminarium Majorum, in expanso collocatorum, quæ alias totum mundum illuminant ac lucidum reddunt, diesque ac noctes efficiunt; *cum tamen DEUS & natura nihil unquam fecere, vel adhuc faciant frustra.*

§. V.

Ignis Elementaris, ubi ubi est, creberrimos suos ac frequentissimos, vel potius, perpetuos ac sempiternos, exerit actus; quamvis in penitiori terræ gremio, proprium domicilium constituerit. Qui, si sub concavo lunæ esset, eodem, quo subterraneus, qui sensibus ubique obvius, modo, ageret arderet ac uret. Quas combustionis injurias, sequeretur proximorum corporum, & præ-

præcipue aëris, primum defectus, & tandem interitus; cum sine pabulo vigere nec possit, nec debeat. Sed nemo, nisi qui cerebrum in calcaneo gestat, cogitet, ne dum dicat, se sensibus ullis percepisse, quod aër, utpote corpus simplex, ac Elementum leve & subtile, aliquam stragem, ab igne velut hoste aliquo suo inteso, acceperit. Qvippe qui, quatenus Elementum *per se* non sit contrarius igni: Et qualitatum contrarietas, ad totius hujus rerum compagis ac seriei harmoniam, ornatum ac pulchritudinem spectat. Et si vel sibi invicem *per se* contrarii essent, tum, quatenus aer indifferens est, & nec frigidus nec calidus, aut esset iam dudum totus mutatus in ignem; aut perpetua horum lucta & mors sæviens, statum naturæ vel confunderet, vel prorsus etiam everteret. Quod magno cum dispendio, in omnes omnium incurreret sensus! Cum præsertim Astra, si alias in cælo ignis habitaret, naturam ignis & sævi-

8
sævitiā non mitigarent, sed potius ac-
cuerent ac incitarent: quippe quæ impe-
rio atque dominio ipsorum analoga &
conveniēns; eodem plane modo: quo
sæpe, videmus intensum calorem solis,
ingentes tractus incendere atque com-
burere, quamvis à se & suis limitibus,
ignem in longe distitas partes ablega-
verit, & ejus receptaculum ejuraverit.
Hunc igitur ignem Elementarem, in
iisdem hisce inferioribus regionibus, &
non sub concavo lunæ, sedem sibi fi-
xisse & locasse naturalem, sensus quo-
que hoc modo ferunt; in quorum con-
sortium, ipsa ratio, propediem quoque
suo calculo est accessura.

§. VI.

Hæc profecto ratio, quæ ex inducti-
one & experientia, firmiter, per
observationem sensuum, concludit: pro-
ducit in conspectum omnia corpora
mixta, ad quorum constitutionem 4.
cum tribus requiruntur. Unum a. ho-
rum

rum 4. de cælo, si alias ibi esset, non posset contra levis suæ naturæ legem, nec motu recto, nec circulari, ad munus suum explendum, descendere, nisi violenter: quod ut naturæ inimicum; ita in natura non datur, & si detur, non tamen est *perpetuum vel diuturnum*. Quod si autem ignis, dispersus per hunc aërem inferiorem, & extra sphaeram illam dictam constitutus, constitutioni mixti sufficeret, cum in prima creatione, mixtis corporibus concreatus sit; cujus igitur rei usus ignis ille superior tum superesset? Maximè profecto absurdum est dicere, quod DEUS creator, natura naturans, aliquod corpus, cujus usus in natura, perquam bonus ac maximus est, eum in locum ablegaverit, unde nihil quicquam utilitatis, commodi aut officii, naturæ naturatæ præstare posset. Satius igitur est placide in eo acquiescere, quod Elementa singula, in & e loco naturali conveniente, mundum perficiunt, cum mistis

inserviant, & mixtis inserviunt cum univ-
 niversum perficiant. Ac proinde usus,
 ob quem *principaliter* in mundum sunt in-
 troducta, occasionem, de eorū situ judi-
 candi, subministrat: non vero qualitates
 gravitas aut levitas. Quæ ut ex formis
 istorum promanant; ita naturam eorum
 & essentiam accuratius exprimunt, &
 cognoscendi avidum, in perfectiorem &
 distinctiorem cognitionem deducunt.

§. VII.

Orbes vero Mathematicos nos non
 admittimus, quorum unus alterum
 instar ceparum ambiret, quia aqua non
 tam terram ambit, quam cum ea unum
 globum conficiat. Aër *levitate natura
 sua* sursum fertur: ignis vero ob *alimen-
 tum* ascendit. Alias etiam & illa cor-
 pora, quorum interioribus partibus i-
 gnis unitur, & quæ igni imbuta sunt,
 per aërem evolarent, cum inclusum
 habeant ignem; qui ob levitatem natu-
 ralem, in propriam regionem ac sedem
 contenderet, si eam sub luna elegisset:
 haud

haud aliter quam trabes aut ligna, ob
 inclusum, quem in poris habent aërem,
 per aquam, e profundissimis fluminum
 alveis emergunt. ἄερον καὶ ἄλορον! Fru-
 stum enim ferri ignitum, idem & frigi-
 dum æquipondium servat, nisi quædam
 substantiæ pars, combustionem ipsa ab-
 scindatur. Ignis igitur sibi relictus, nec
 sursum vult nec deorsum, nec elevatur
 nec deprimitur, sed materiam sequitur,
 adeo ut cum fervidis lapidibus descen-
 dat: in fumi vero vaporibus & aliis exha-
 lationibus ascendat, nec in ulteriorem
 vel altiorem mundi plagam, supra aë-
 rem eniti potest, quam quousque, ma-
 teria conveniens atque sufficiens, per-
 miserit. Alias & aquilam quæ suo vo-
 latu, omnes avium antecellit: Aquas e-
 tiam resolutas, fumos & nebulas, in
 quibus hic ignis ascendit, supra aëra,
 sub concavo lunæ vere collocaremus.

§. VIII.

Αούρατον plane est, dicere ignem
 supra terram usualem, ab igne Ele-
 men-

mentari specie differre, quippe quem omnino in se habeat, sed aliis prorsus accidentalibus involucris imersum. Quod certe alias pulchre procederet, quatenus probavimus, ignē deorsum non deprimi posse, & quod una tantum species ignis in hoc naturæ theatro detur, cujus flamma nunc recta, nunc vero obliqua, acuminatim instar coni, fertur. sed ad hanc Andromachen satis.

§ IX.

Aliquid Divini Poetis inesse, multis persuasum est: at nos non solum in illis, quin & in omnibus, id reperiri confitemur. Id ipsum Divinum, quod alias: reliquiarum imaginis Divinæ, dici sivevit; nihil aliud est, quam lumen naturæ & recta ratio; seu lumen veri & semen boni: quam DEUS non modo recto iudicio a collectione munivit, sed etiam verbo suo Θεοπνεύτω revelavit, ut non tam mere Φιλόσοφοι quam Θεοφιλόσοφοι denominemur. Quamvis igitur oracula & elogia DEI, non sint

norma controversiarum philosophicarum djudicandarum, interim tamen omnes, in Philosophia, inductiones & conclusiones, sic formari ac dirigi debent, ut non tantum cum ipsa natura, quin & cum mente Divina, in cujus conformatione omnia consistunt ac sita sunt, revera consentiant. Cum & affirmative & negative, hinc inde concludere liceat. Sententia hæc: *de igne elementari sub concavo lune*, si consona esset rei veritati, vel menti DEI, in penetralibus certe effatorum Divinorum, aut κατὰ τὸ πῦρ, aut δίανοιαν, patrocinium inveniret. Non equidem scripturæ est, omnia quæ in rerum natura occurrunt, nominare vel explicare: est tamen ejus, viam sternere, atque ausum dare philosophiæ, rite djudicandi res; quæ & quales sint, & quomodo cum Ente summo conveniant. Sic: dum verbum DEI mentionem facit aquæ & terræ, non vocat ea Elementa, quæ tamen ita sunt, quod & natura & experientia dudum luculen-

lentissime docent. Pari & modo: sacræ literæ, ad minimum huic sententiæ fulciendæ, viam sternerent, si alias genuina foret, cum & ignis, uno tempore, cum cæteris naturalibus rebus, creatus fuerit.

§. X.

Sed ex tota creationis historia, ubi *proprie & non figurate*, de principiis & seminibus omnium rerum, primus sermo, a scriba DEI instituitur, ne apex invenitur, qui huic sententiæ patrocinium pararet, cum idem DEUS & principiorum, & rerum inde ortarum ac compositarum, utpote quæ DEI jussu emerlerunt, auctor atq; effector, merito sit & habeatur. Hoc quando non fit, non dubitamus, nostra quin sententia vera sit: quod quatuor illa Elementa, in prima rerum mole, sicut omnia alia, collective fuerint creata, vel ut dilucidius loquar; ipsis corporibus mistis velut concreata, ad quorum constitutionem concurrunt, quamvis ante horum

pro-

productionem extiterint: cum amanu-
 ensis propositum fuit, non mancam aut
 mutilam, sed plenam quamvis brevem
 tradere historiam, non modo earum
 rerum, quæ sensibus notiores sunt, sed
 & aliarum, quæ nec adspectu nec au-
 ditu, nec aliis sensibus *primo & per se*
 percipiuntur, utpote animæ rationalis,
 & formarum omnium, invisibilisq; cœli:
 quippe quæ omnia, anima hominis ex-
 cepta, in massa illa ac primo chaote con-
 tinebantur, sed postea ex beneplacito di-
 stinguebantur. Confusa E. fuisse qui-
 dem Elementa videmus, nec nomine
 Elementi a Mose insignita, non tamen
 e natura rerum penitus sublata, ne
 dum in locum inconvenientem ablegata,
 unde plus confusionis, quàm alias ornatus
 aut concinnitatis, mundo conciliaffent.
 Quis proinde tam bardus erit & brutus
 ut, ignem Elementarem hinc educere
 ausit, aut sub concavo Lunæ fingere,
 cum hujus Elementi, ne per punctulum,
 quidem mentio sit injecta, nec etiam
 huic

huic hypothefi, adfensus Mofes fuiſſe videatur.

§. XI.

NE vero quis, ſicut multi ante nos, ea opinione imbutus, cœcutiat, quod per lucem illam primigeniam, nihil aliud intelligatur, quam ignis ille Elementaris, ſurſum emicans aduſtivus & illuminativus, qui potentia DEI exiſſiſſe & ex ſupremo orbe, mundo claritatem lucemque impertiſſe creditur: in qua ſententia fuit Damascenus; aliqua hinc abſurda emanantia, in appricum producuntur. Subſtantia illa $\gamma\alpha$ lux nimirum primigenia; id quod vel a radice $\gamma\alpha$ (lucere illucere) facile intelligitur; ceſſit in materiam omnium ſtellarum, quæ corpora ſunt lucida, & lucent ſuper terram, licet valde inæqualiter. Si igitur ignis mundum illuminaret, quod alias jam Aſtrorum eſt officium, utique & ignis ille, non vero lux eſſet in ſtellis; atque ſic non peculiari orbi includeretur

tur, vel in certo quodam loco constitutus
 esset. Sed sicut nunc totum aërem
 semper circumdat; ita & illum omni
 tempore, eodem modo illuminaret, nec
 ullas unquam tenebras admitteret, nec
 noctium dierumque statas vices, & vi-
 cissitudines nobis daret; sed semper ad
 omnes mundi plagas luceret, & dies
 continui, vel ad minimum æquinoctia,
 essent atque vigerent. Dicere vero i-
 gnem non eodem plane modo, nocte ac
 die lucere, est; *propria à suis subiectis se-*
parare, & miracula, quæ sunt supra na-
turam, nec in Philosophia capiuntur, sub
rationis scrutinium subicere, & inter
res naturales numerare. Quod alias
maxime profanum, & contra normam
analogiæ fidei pugnat.

§. XII.

Eo tamen quidam progressi sunt, ut
 sententiam hanc, nec omni pror-
 sus carere fundamento, statuerint; inni-
 xi, oraculis Scripturæ Sacræ, quæ ali-
 quot in locis, ignem cum Sulphure, de
 cælo cecidisse dicit: talemque ignem,

DE ignem vocat; nec non: *cœlestem*: sive
de cœlo; appellat. Qui sane ignis, ma-
 gna alias nocumenta, & hominibus,
 ut tempore Mosis in deserto, ætate E-
 liæ, aliisque, tam jumentis Jobi, quam re-
 bus attulit; adeoque magnum terrorem
 mentibus incussit. Unde & quædam
 gentes, stupore atque horrore tonitruum
 ac fulgurum, igni vim Divinam adtribu-
 erunt, inque Deorum numerum retulerunt.
 Sed nullum patrocinium huic sententiæ,
 in his & consimilibus locis, inveniunt.
 Præter enim id, quod pluviam *ὕμνη*
ουρανῶν cum *φουκῆ* confundant, dicitur
 alias hujusmodi ignis, in vindictam &
 pœnam, ex beneplacito missus, fulmen
 iræ DEI; item: *de cœlo*; h. e. *cœlestis*: pe-
 culiari idiotismo lingvæ hebreæ; ubi
*substantivum cum substant. mediante præpo-
 sitione; adjective usurpatur*: quia immediate
 à patre per filium, cujus tabernaculum
 sulphure ac fulgure spargatur, emissus
 fuit, quod subeuntes pœnam maxime e-
 rant indigni, ut per *causarum naturalium
 secundarum* famulitium interirent. Sic-
 ut

ut in extirpatione Sodomæ & Gomorræ accidit. Ille enim ignis sulphure erat permixtus, quia incolæ harum civitatum intus & invicem, execrata libidine ardebant, foris autem fœtebant. Sicut enim sulphur, ignis fomentum, gravem excitat fœtorē; ita peccatum quod huic valde simile: pravaram cogitationum fœtoribus, in mente reproba dilatatum, incendium præparat æternum. Idem iudicium esto, de cœteris ignibus cœlitus emissis, nisi aliquot locis, more hebræis usitato, nomine DEI, per quod rem insignem describunt, fulgura vehementissima, quorum causa & origo, naturæ scrutatoribus sunt nota, designantur. Unde liquet hanc sententiam, nec in rationibus ex Scrip: S. desumptis, radices agere posse: Ergo falsa.

§. XIII.

Quamvis autem ignis fornacis Babylonice, flammaque ejus non combussit vinctos, sed a vinctis est vincta, combussit tamen viros reliquos Babylonicos, fuit ergo Ibi *actus primus*,

quamvis defuerit *secundus*. Inde tamen inferre non licet, remotionem caloris ab igne, quia omnis ignis naturalis, admota materia utili, non potest non comburere, quamquam *in quibusdam objectis* impotens fuit. Quam vana igitur eorum sententia est, qui quædam animalia, utpote pyraustæ; genus Insectorū & Muscarum, ex igne generari posse existimant, quivis videt. Nec non: qui Salamandram igni vivere putant, cum hoc animal frigidæ naturæ, ad tempus in eo perseverat, & aliquamdiu frigidissimo suo tactu prunas extingvit, donec ab igni consumatur. Cætera experimenta: de pulveris pyrii tonitru; de aromatibus magis & diutius olentibus, si cinere, quæ igne suffita sint; de percrepatione salis; de incensione ignis per specula & vitra; de elisione ignis ex filice & chalybe: aliorum curiositati reservamus. Naturam autem ignis infernalis, reproborum relinqvamus experientiæ.

dictum puta!

DN. MAGNE Ståålhöös,
 Philos. Candidate longe dignissime,
 Amice & Sympatriota peramande.

Id quæ sit verum, quod Flaccus, Horatius
 inquit:

*Qui studet optatam cursu contingere metam,
 Multa tulit, fecitque Puer sudavit & alfit,
 Experientia Te docuit, mi candide amice.
 Scilicet alfisti, sudasti & multa tulisti;
 Interea semper reputabas hocce Maronis,
 Dicentis: Quò fata trahunt retrahuntque
 sequamur,
 Quicquid eris, superanda omni fortuna fe-
 rendo est.*

Sic placuit Domino! cui fido! & ipse videbit!
 Sic factum est! gaude! superasti cuncta fe-
 rendo.

Nunc igitur superest, ut præmia digna capellas,
 Quod reliquum est, voveo vincas ut Nestoris
 annos!

Et semper vigeas felix! faustusq; perennes!!!

*Id quod L. M^g. ex animo
 voveo:*

JOH. HELINUS.

Ad

Clarissimum DN. Candidatum,
ut antea Præceptorem indefessum; ita
nunc fautorem amandum.

Illuxit dies, adestque hora, qua pro
labore tuo indefesso, honores, quibus
optime dignus es, reportas Academi-
cos. Gratulor parenti, qui talem filium
genuit, gratulor & patriæ, quæ tali cive
fruitur; denique etiam mihi, qui talem
Præceptorem habui, quem virtus cum
alude, merito nunc condecorat. Debiti
officii, & boni animi contestandi ergo,
intime voveo, velit summus DEUS te
incolumem diu conservare, ut mihi, tibi
parenti & patriæ utilis vivas!

*Citissime scripsit Cl. Dn. Cand.
officiis astrictus*

A: ANANDER.

Ali-

Aliud

Hortulus ut nitidis collucens fœtibus usq̃
 Inflexit vigilis blanda dulcedine sensus
 Cultoris ; fugiens sic desidis otia vite
 Agro in Pierio, hinc fructum virtutis honestum
 Obtinet, & meritâ pro palmâ gaudia lata.
 Haud secus impediunt viridi tua tempora lauru,
 O Fautor, Muse, dum scripto & mente politâ
 Conscendus cathedrâ commenta insana revelans,
 Materiam raram doctis nunc auribus aptas,
 Dexteritate tua verum defendere tentas ;
 Gratulor ergo Tibi, mi Fautor Sympatriota
 Gratulor ingenium meritoq̃ ad Hydrea tollo.

Hoc quæcunque gratulabundus
 apposuit

T. Höör.

Quemadmodum hortulanus, dum suum po-
 marium colit & plantat arbores, fru-
 ctum copiosum tempore autumnali expectat ;
 ita quoq̃ comparatum est cum juvene studioso,
 qui omissis omnibus aliis negotiis, Summa
 cum diligentia artibus liberalibus invigilat. ut
 post exanlatas & superatas omnes quæ hic
 lese offerre Solent, molestias, leta tandem & lau-

ea reportet premia. Quod sane si in ullo alio
utiq; in Te Pereximie & Præstantissime Dn.
Candidate satis superq; notum est. Quas enim
non devorasti molestias, quos non tolerasti labo-
res, quibus deniq; non defunctus es vigiliis, &
obstaculis, ut tandem iis, quæ hæcce subsequi so-
lent premiis dignus deprebensus sis, quæq; nunc
cum honore capeffis. Jam autem ut sedulum
hortulanum raro spes sua frustratur, ita sanè
nec te Tua spes fefellit: Ecce enim honoris & fæ-
voris illa, quæ jam ante optime promeritus es
premia, Te hilari admodum vultu expectant
& invitant. Ito ergo bonis avibus & sy-
dere admodum felici, quò te Tua virtus vocavit.
Quod autem ut fiat.

Ex animo vovet & exoptat

DANIEL LITTORIN.

